

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 58.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.—Die Veneris 25 Aug. 1809. (Neov. 8. Aug. 1809.)

Ernestus Austriae ab Imperatore Henrico IV. Prior, non monasterii, sed Prior Sacri, Romani Imperii — nominatus fuit.

Confabulantes Umbræ.

Gallia. Austria (personificatae).

G*Gallia.* Mundus hic, cara soror! vere lusus umbrarum est.

Austria. Hanc equidem adpellationem dilecta soror! post omnia quæ antecesserant, neutiquam expectassem.

Gallia. Discordiæ inter amantes nova vincula amoris sunt.

Austria. Credisne id Gallia! & credis ne id sincere, & candide?

Gallia. Equidem calleo: in nostro politico Parasso fidei non multum deferendum esse; Politica proprias sibi rationes sequitur, virtus sæpenumero vitium est, vitiosum contra virtus, mendacium veritas, veritas mendacium. Interim existimo post omnes discordias & bella, quæ ad usque gessimus causam magnæ Politicæ eo dimendam, ut arctiore amicitia conjungemur.

Austria. Hoc quidem Kauniz & Bernis

pro aliquo tempore in effectum deduxerant. Duumviri hi œculas ambas reconciliarant, verum ut res ibant subseque?

Gallia. Noli torqueri bona Austria! ita mundus hic comparatus est: ut raro viam rectam inecat. Magni Monarchæ, magni fortunatique dominatores, Statibus suis prærogativam induunt, quam ordinaria tranquillitate rerum nequidquam asseouti fuissent. Zelus occupationes faciendi morbus est, quo magni solum viri corripuntur, & hoc morbo status vel attolluntur, vel evertuntur.

Austria. At virtus aut voluntas se conservandi? se sede exurbari non sinendi? subditos moratiores, feliciores reddendi?

Gallia. Amanda soror! cuius Statui certæ sunt Epochæ Magnitudinis, certæ Epochæ magnorum & excellentium Imperantium; nobis in Galliaambo Francisci, Ludovicus XI, Henricus IV ille, Bourbonium sidus, & stupor! Ludovicus XIV qui basim proprie magnitudinis nostræ jecerat, quæ per revolutionem vacillans reddita, ab excellenti ingenio adprehensa erecta, & ad summum politici juxta & bellici valoris fastigium collocata est, quod illud ingenium sit, vel me tacente assequeris.

Austria. Nec ego deficio; opponendis illustrius dominatoribus. Foveram sinu meo Rudolphum, illud sidus Habsburgicum, Carolam V & Josephos, quos mature felicitas nostræ fatum eripuit, & diva mihi præstunt Magaa Theresia, animis quæ maluit mo-

derari, quam subdere colla gentibus, triumphus ejus muliebris erat quidem, sed excellentior & præstantior triumphis multorum virorum.

Gallia. Omnis status suas habet Epochas ortus & occasus, ideo dixi tibi: mundum hunc umbrarum lasum esse; quippe paucis solum tantum virium & perseverantiæ datum est, ut in omnibus actionibus sibi constant, ut incessanter in eo ad effectum perducendo laborent, quod ratio his ceu Ideale veritatis & virtutis proponit, utque quavis externa ope, quovis incitamento, quod ab aliis venit, carere possent. Illi homines qui omnia hæc ex plenipotencia virium efficere norunt, felices animæ sunt, præstant multis imbecilitatibus, summi fortitudine & pleuicandente Enthusiasmo pro veritate, jure, officio & honore.

Austria. Profecto exemplarem Gallia! ad umbras imaginem.

Gallia. Hoc eo consilio: ut contraria contrariis magis illustrentur. Sed quæso: an non potes me ita didico Unionis Ordine, non ita pridem in boreali Germania nato, sentiora docere?

Austria. Ephemerides Politicæ de Schillio & foedere Virtutis aliquam lucem affundit. Res sic se habet: Dominus . . . clam ordinem condidit, in ipsis publicis paginis nomine Virtutis foedus adpellatum; plares, qui ei nomen darent allicere noverat. Finis ejus indicabatur: Restitutio Germanici Candoris, incita-

mentum amoris patriæ & civium virtutum, hodierna ætate. Speciosa hæc nomina numerosos eruditos viros allexere. Schillius ab amicis invitatus, & — virtutis foederi adlectus est. Aptum moliminibus fervidum hominis ingenium, nomen viri, auctori Ordinis & ejus uberibus consiliis arridere debuit; Die 10. Dec. superiore anno Schillius Berolinum venit, cum auctore ordinis, Electore Hassiæ, & Duce Brunsvico — Oelsensi familiarem nexum iniverat, nuper primum compertum est: eum jam eorum suscepta molimina mente volvisse, clamque scilicet & arma emenda queritasse, quibus insurgentes instrueret; Successu temporis plures perceperat nuncios ex Vestphalia, cumque ibidem male contentis commercium literarum iniverat; cum in omnibus familiarioribus nobilium conventibus in metropole ultro comparuisset, die 29. Aprilis vespere cum suis disparuit. Vix Albim trajecisse ferebatur, cum nunciaretur: eum, ut eventus postea docuit discessum admaturare debuisset, quæ ppe legato Vestphalico sub medium Aprilis commercium Schillii cum male contentis Regni Vestphaliæ innotuit, moxque res Regi Borussiae indicata. Imperans e vestigio Schillium Regiomontum acciri, actiones ejus disquiri, pœnaque afficere decrevit; at familiaris ejus, ordinis virtutis membrum, eundem celerè nuncio, periculi instantis adn onuit, quo factum: ut formidans maturaret exsequi consilium, nondum fortassis plene maturum. Ulteriora viri hujus fata constant. Jam virtu-

tis foedus solutum est, ut primum de existentia & essentia ejus nunciatum est.

Gallia. Optari licet: ordinem hunc apud D. Brunsvico-Oelsensem adhuc constitutum, at quamdiu?

Austria. En aliud politicum phaenomenon se oculis objicit! novus Rex Sveciae Carolus XIII hærede orbis, Principem Slesvico-Holsato Sunderburgo Augustenburgicum (natum 1768) Christianum Augustum successorem suum nuncupavit, & Statibus Regni proposuit, qui die 18. Julii memoratum principem unanimis votis successorem elegerunt — Id notatu dignum: Principem, ubi electionem sui intellexisset, evitandi causa ne arma adversus gentem, quæ tanta fiduciae in se argumenta edidit, vertere debeat, supremo imperio in exercitum Danicum decedere optasse, verum a rege Daniae Campi Mareschallus & Norwegiae Vicarius creatus est. In hac denominatione Politici arcanum futurae destinationis Norwegiae detegere volunt.

Paullo ante ingressum Copiarum Regiarum residents praesidialis Deputatio seqv. Edictum vulgavit, Cæsareo Regia Deputatio Praesidialis, quæ severis Cæsareo Regiae Intendentiae ex mandatis in Tyroli coalescere debuit, quam ea usque hoc cum exacta officiorum suorum custodia & germano patriotico Candore agenda sua persecuta est, suismet stabilitis principis, altiorumque Jussorum venerationi offensionem adstrueret, si ea vel momento temporis moraretur, adhæreretque

percepta hodie medio celeris nuncii Manda-
ta tam a parte Domini Cæsareo Regii Gen-
Ducis B. a Buol, (N. 1) quam D. Cæs. Regii
provincialis Intendentis B. a Hormayr (N. 2)
populo in eo pleno complexu communicare,
quo si se adnexis duobus rescriptis ad verbum
exprimunt. Procul absit! ut aliorum moti-
vorum rationes in minimo dispicere, aut ar-
bitrarie in is interpretationi indulgere au-
deat, Deputatio præsidialis culpæ potius pe-
riculum incurreret, si ex iis suapte abrogari
ulteriorem functionem suam, & non intelligeret,
& promte non susciperet. Verum cum ea pau-
lo ante medio duorum a Sua Cæs. Regia
Majestate expeditorum nunciorum immediate,
quorum alter viam ad Cæsareo Regium In-
tendentem ultra prosecutus, amplissima sub-
sidia tam in aere, quam in milite, una vero
solennem annunciationem ulterioris specialis
nuncii, qui intra triduum certe secutus, &
decisas relationes de Induciis allaturus est,
obtinuerit; ea propter ad impervias tot confli-
&uum obscuritates perspicendas Commissio
ex omnibus quatuor Statibus tam ad D. Com-
mendantem Cæs. Regium Generalem, quam
ad provinciale Intendentis Collegium expedi-
ta sit, Deputatio sui adhuc muneris existi-
mat, novissimam rationem non negligere,
videlicet: medio Cæs. Regiæ Excubiarum
Præfecturæ interinalem dispositionem facere,
ut ab occupante militia induciæ quatuor die-
rum impetrentur; ne sinceritas provinciæ per
sinistram intelligentiam, in noxiam non mor-

do occupanti potentiae, sed ipsa quavis interna vincula solventem confusionem degeneret, ubi casu in contrario rectus solum ordo, juris studium, & prudens deditio in altissimas dispositiones Tyrolim honore, gratiaque cujusvis potentiae dignam exhibere valet. Oeniponti die 29. Julii. *Ex Caes. Regia praesidiali Deputatione Joan. Baro a Schneeberg.*

Nro. 1) Ad Deputationem praesidialem Oeniponti. Brixia de 28. Julii 1809. „Officiosa confirmatio initarum die 12. hujus penes Germanicam exercitum Induciarum, medio expediti ab principe hospitio suae Caes. Serenitatis A. Ducis Joannis & apud infra-scriptum adpulsi Caes. Austriaci Cursoris reapse pertigit. Necessitas militarum, probabile & politicorum eventorum, hunc, animo Suae Majestatis Imperatoris, Domini mei clementissimi summopere dolorosum actum imperabat; verum secundum propriam A. Ducis Joannis fidejussionem Sua Majestas certe extrema actura est, ut Tyroli consulat. Interim Eadem Caesarea Serenitas jubet quietem, & deditionem. Summe fata agnoscit hoc ipso necessitate regioni devastationis horribus praecavendi, quos absque fine continuata renitentia regioni accerseret **Mihi vigore Art. 4. Induciarum Tyroli & Vorarlberga decedendum est, proin nequeunt ambae hae provinciae praesidio meo fidere. Hoc est Tyrolenses! quod lacrimis madente corde, & doloroso animo pro anterioribus auxiliis vobis communicare cogor. In meis litteris ad D.**

Dantiscanum gentem Tyrolensem praesidio ejus commendavi. Inclita Deputatio denique rogatur: ut argumentum harum litterarum concernentibus Praefectis & Pro-Praefectis prout & subalternis tribunalibus & Communitatibus notum reddat" *Subscr. Baro a. Buol Generalis & Corporis milit. in Tyroli Praefectus.*

Nro. 2. Epilogo litterarum hodie mane cointelligenter cum D. Commendante Dominationi Vestrae transmissarum Eidem, qua vir honestus significare illico debeo: D. Capitaneum Wolf cum officioso nuncio de initis Induciis a Serenissimo Archiduce Jaonne Brixiam festinasse. Quam ipsam ob rem Dominationi Vestra ad majora pericula antevertenda meis mane directe & indirecte per Pro Tribunalum B. a Taxio declaratis mandatis occisissimam manum admovendam habet. Vix Congregatio celerem; unanimum, salutarem sententiam procuratura est, potius litteratoria ad quaevis tribunalia per celeres cursores communicatio. (absque dato) *Subsc. Hormayer."* *Ad D. Gener. Commissarium B. a Schneeberg.*

Neapoli die 24. Julii. Sub 27. p. m. Rex declaravit: ut universi subditi, ad hoc tempus sub vexillis hostilibus merentes, si ea ultro desererint, & domum repeterint, non modo nullis rationibus pœnaque teneantur, verum si iis placet, eidem, quem apud hostem tenebant, dignitatis gradui in regio exercitu admoveri possint.